



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 12. Magnorum est, vt sint in aduersarios benigni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

Matth. II.
22.

sed etiam ob preces & bonitatem suorum. Cum enim vel Sancti eò mansuetudinis perueniant, vt neq; de extremè desperatis desperent; quantò magis decet ipsum Magistrum Sanctorum (qui dixit: *Discite à me, quia mitis sum*) esse in eosdem benignum, atque misericordem?

§. XII.

Magnorum est, vt sint in aduersarios benigni.

Suspiciuntur homines, & laudibus in cælum tolluntur, qui se ipsos vincere, aduersarios benignè habere, & facilè ignoscere possunt ijs, à quibus violati fuerunt. Et, Poëta teste, *Quò quisq; est maior, magis est placabilis ira.* Certè Ecclesia S. Stephani, pro lapidatoribus suis Deum precantis, exemplum intùita, ita nos docet orare: *Da nobis, quesumus Domine, imitari, quod colimus, vt discamus, & inimicos diligere: quia eius natalitia celebramus, qui nouit etiam pro persecutoribus orare.* Si ergo pulchrum est hominibus, benefacere ijs, à quibus maleficio affecti sunt; quantò id ad Numinis gloriam erit conuenientius? Neque enim potest, in vlla virtute, infinitis modis perfectus Deus, à mortalibus superari. Nihil ergo mirum, si
summa

summa maiestas illius læsa, non tantum veniam petentes in gratiam recipit, sed si etiam ultro eos quærit, & ad ostium cordis illorum stans pulsatur, & rogatur, ut aperire velint, gratiamque recipere, quam à se, cum maxima iniuria, excluderunt. Igitur ut septimum exemplum addam.

§. XIII.

Luculentum diuina bonitatis, etiam in desperatissimos, exemplum.

Luculenta eiusmodi res accidisse legitur, in B. Catharinæ Senensis vita. Erat Senis, Anno Christi 1370. ciuis, cui nomen Andreas Naddini, opes copiosæ, si aurum spectes, nullæ, si consideres virtutem. Nam plerumque quibus aurum nimis charum est, non est nimis chara virtus. Itaque hic homo cum alijs plerisque flagitijs coopertus, tum etiam præcipue tesserarum ludò ita erant mancipatus, ut si ludendo, perderet nummos, Diuos, Deumque ipsum conuitijs profcindere identidem, cælumque detestabili execratione implere non vereretur. Quadragesimum iam ætatis suæ attigerat annum, cum eum diuina vindicta censuit, non diutius differendum. Graui igitur morbo affecit, quo crudescente, depositus iam videbatur.

Raymūd.
è Capua
apud Sur.
19. Apr.